



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Willibrordi, aut (ut alii eum vocant à liberali panum distributione)  
Willigbrodi, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

11. *D. Sophia* reformatrix, ex Colonia Agrippina ad reformandum cœnobium accita, præficitur S. Walburgis cœnobio anno 1456. Præfuit laudabiliter 19. annis. Deceffit ex hac vita 6. Iduum Julii, anno Dominicæ Incarnationis 1475.

12. *D. Ursula de Reichenaw*, laudatissimi Antistidis Aichstadiani Gulielmi germana foror, successit Dominae Sophiæ. Præfuit annis undecim. Obiit anno 1486. in die S. Mauri.

13. *D. Walburgis à Fronvergk*, de Rhenensi provincia adveniens, præfuit annis septem & obiit anno Domini 1493.

14. *D. Margareta*, nobilis & egregia virtute prædita herois à Schaumberg, successit Walburgi, electa in vigilia Andreae anno 1493. Præfuit 14. annis. Obiit anno Domini 1508. ipsa die S. Erhardi.

15. *D. Walburgis de Abbsperg* eligitur in die S. Polycarpi anno 1508. Præfuit annis 30. Obiit anno Domini 1538. in die S. Emerentianæ.

16. *D. Margareta de Seckendorff* eligitur postridie S. Valentini anno 1538. Præsidet hoc adhuc currente Jubileo.

Heptinacria.

WILLIBRORDI, aut (ut alii eum vocant à liberali panum distributione) Willigbrodi, cœnobium Heptinacrianum vel Epternacense à civitate quatuor milliaribus à Treveri versus Lutzelburgum intra septem altissimorum montium juga constructa, in qua situm est, sic dictum, monachorum Benedictinæ professionis, sub Treverensi Diœcesi, amplissimum ac opulentissimum monasterium, fundatum & constructum legitur anno Domini 696. ad preces S. Willibrordi, primi Archiepiscopi Trajectensis, à Domino Pipino seniore, Francorum Duce, ejusque conjuge Domina Blitrude: utriusque item clarissimo filio, Domino Carolo Martello, cooperante Domina Irmina Abbatisa & fundatrice Treverensis horrei, quæ hujus cœnobii diplomatis fese subscripsit, in Christi nomine Deo sacratam, etsi indignam gratia Domini Abbatisam. Privilegium à Pipino fundatore datum ita habet inter cætera.

Privilegium Epternacense.

Ita



Ita volumus Abbatem nostrum Epternacensem exemptum, ut nullius subsistat mundiburdio, nisi solius Dei. Hoc ab omnibus sequentibus Regibus & Cæsaribus, imo ab ipso etiam Divo nostro Carolo V. ita confirmatum est.

Fundator in diplomate sic sese scribit: Pipinus illuster vir, Dux: filius Anegifili quondam, & illustris matrona mea Blitru-dis, filia Hugoberti.

Erat antiquitus tam potens hoc monasterium, ut haberet ejus loci Abbas sub se viginti duas arces vicini Ducatus Lutzelburgensis, omnes videlicet, excepto ipso Lutzelburgo, quod in S. Maximini Treverensis fundo situm fuisse legitur. Habetur in hujus cœnobii templo inter cætera præclara ornameta liber Evangeliorum bracteati operis, totus purissimo auro elegantissime scriptus, quem dono dedit ejus loci Abbati cuidam Otho Rex, cujus ibi in exteriori libri cortice vel tegmine imago est sub pedibus S. Benedicti Abbatis: & Theophania Imperatrix, cujus icon est eodem loco sub S. Luidgeri Abbatis pedibus. Est & alius illic liber, argento & auro in puniceo coloris membrana scriptus, continens vitam S. Willibrordi, Trajectensium Archiepiscopi, primi hujus monasticæ congregationis authoris & gubernatoris: hunc edidit Alcuinus verficator eximius profa & ligata oratione, ad Archiepiscopum Beornradum. In ejusdem templi dextro latere est præclarum Meseraici operis monumentum, Othoni Brabantiae cuidam Comiti positum, cum tali inscriptione:

*Otho Comes, tibi sit requies per secula perpes.*

Oppidum ipsum Epternacum hodie Abbatis est, moenibus & fossis præclare communitum, ad Suram amnem situm, quem pons è solido saxo fortissimus, septem fornicum, duabus item turribus conspicuus, connectit. Templum cœnobii quatuor elegantibus & maximam vetustatem referentibus turribus ornatum est. Abbatum vero & gubernatorum ejus loci talis extat catalogus, quem mihi oppidi Epternacensis parochus, vir eximie doctus & insigni pietate ac vitæ bonitate præditus, Dominus Johannes Monticola, hospes meus liberalissimus, benigniter communicavit.

i. S. Will-

Liber E-  
vange-  
liorum  
auro scri-  
ptus.

Alcuinus  
verfifex.

Epterna-  
cum Ci-  
vitas.



1. *S. Willibrordus*, Hibernus, anno Domini 658. natus, venit ex Hibernia Traiectum anno Domini 690. ætatis suæ anno 32. ubi cum innotuisset Francorum Duci, Pipino, Romam ab eo missus est, ut illic à Sergio Pont. Max. Archiepiscopus Ultrajectanus ordinaretur, quod factum est anno Domini 694. ipsa die S. Cæciliæ. Postea Archiepiscopus factus, fundavit anno Domini 696. tertio ordinationis suæ anno Epternacense cœnobium, cui ipse primus Abbas & gubernator præsidere cœpit anno 698. Præfuit vero una cum Archiepiscopatu huic loco annis 41. pie & laudabiliter. Obiit anno Domini 739. ætatis suæ 81. ordinationis vero 46. Sepelitur splendide ac decenter in monasterio suo Epternacensi.

2. *Albertus* successit Domino Willibrordo in Abbatia gubernatione. Præfuit annis 36. Obiit anno Domini 775. sub Carolo Magno.

3. *Beornradus*, Senensis Archiepiscopus, constituitur post defunctum Albertum hujus etiam cœnobii Abbas. Præfuit autem annis 22. Decessit anno Domini 796. Post eum habuit Carolus Magnus Imperator Abbatiam in suis manibus per annum unum integrum. Ad hunc Archiepiscopum scripsit *Alcuinus* verficator vitam S. Willibrordi, de qua supra. Ejusdem temporibus Willihadus primus Bremensis Ecclesiæ Episcopus, persecutionem plurimam ab ingratis & male Christianis, Saxonibus passus, Romam profectus est, ubi salutatis Apostolorum liminibus cum in Germaniam inde rediret, Epternacum venit, ibidemque duobus annis inclusus, Deo precibus & jejniis servivisse, & inde in Saxoniam rediisse dicitur, ubi prædicationibus & aliis bonum Apostolum decentibus operibus plurimos Christo feliciter acquisivit & lucratus est.

*Willibrordus, primus Bremensis Episcopus.*

4. *Ado* quartus Abbas constituitur anno Domini 796. Præfuit annis 20. sub Imperatoribus, Carolo Magno & Ludovico Pio. Obiit anno Domini 817.

5. *Sigoaldus*, Spoletinae urbis Episcopus, fit Abbas Epternaci anno 817. Præfuit annis 9. sub Imperatore Ludovico Pio. Decessit anno Domini 827.

6. *Theo-*



7. *Theodgaudus* successit Sigoaldo. Præfuit quinq; annis sub Ludovico Pio, ad annum usq; Dominicæ incarnationis 832.

7. *Hettinus*, Trevirorum Archiepiscopus, Epternacensi Abbatia præfuit annis 6. sub Ludovico, ad annum usq; Domini 838.

8. *Hieronymus* Abbas præfuit annis decem sub Ludovico & Lothario Imperatoribus, ad annum usq; Christi 847.

9. *Adelardus*, Comes Lotharingæ, præfuit 9. annis, sub Præposito Lothario, ad annum usq; Domini 856. Præfecit præpositum introductis Canonicis & Cleris Hiltgerum & paulo post Guntranum.

10. *Hatto*, Episcopus & Abbas, successit Adelardo. Præfuit 8. annis, ad annum Christi usq; 864. sub Rege Lothario, à Nicolao Papa excommunicationis fulmine tacto & ab ecclesia excluso.

11. *Reginerus* Comes, in Abbatem electus, præfuit post Hattorem 7. annis, ad annum usq; Domini 871. quo anno Lotharius Rex pro absolutione Romam veniens, ab Adriano Papa absolutus, in redeundo apud Placentiam obiit. Sub hoc Abbate fuit Alidopertus præpositus Canonicorum eodem loco habitantium.

12. *Carolomannus* Rex, Caroli Calvi Imperatoris filius, oculis privatus iussu patris & huic ipsi monasterio intrusus, in ejusdem Abbatem eligitur anno 871. Erat enim ei à Lotharingæ Rege, Ludovico patruo suo, Epternacense cœnobium concessum ad subsidium vitæ. Præfuit 7. annis, & mortuus tandem honorificè sepultura donatus est.

13. *Adelardus II.* Comes & Abbas, præfuit 11. annis sub Arnulfo Imperatore ad annum usq; 889. Sub eo fuerunt præpositi Canonicorum Folericus & Hemeradus.

14. *Robertus*, Lotharingæ Comes & Abbas, præfuit tribus annis sub Arnulfo Imperatore ad annum usq; Domini 892. Sub eo Helingandus & Hildewinus præpositi Canonicorum fuisse leguntur.

15. *Rabodo*, Trevirorum Archiepiscopus & Abbas, præfuit

Ttt

4. an-



nis sub Arnulfo Imperatore ad primum usque annum Zuendiboldi Regis, hoc est, anno Domini 896.

16. *Reinerus*, Lotharingiæ Comes & Abbas, præfuit 19. annis sub Zuendiboldo, & Carolo, Ludovici Balbi filio, Regibus, ad annum usq; 915. magnus monasterii sui auctor & illustrator, collatione pagorum & oppidorum. Dono dedit enim Bergen, Rodenmach, Waderlo & Tremethen cum ecclesiis & cæteris appendicibus. Sub eo Berengaudus fuit Canonicorum præpositus.

17. *Gisilbertus*, Lotharingiæ Dux, filius Reineri, successit patri in regimine hujus loci sub nomine Abbatis, qui tandem Imperatoris Othonis sororius factus, in eundem seditiosus perit apud Andernacum cum equo in Rheno. Ejus temporibus Godwinus & Herinus fuerunt Canonicorum præpositi.

18. *Hermannus*, Lotharingiæ Dux, successit Gisilberto sub Imperatore Othone I. undecimo videlicet anno regni ipsius, hoc est, anno 949. quo Rinera huic loco est reddita.

19. *Sigefridus* Comes successit in Abbatia hujus administratione Hermannus. Hujus hortatu Otho Imperator anno 34. regni sui, Imperii vero 12. hoc est, anno Domini 972. Canonicos ex hoc loco expulit, & congregationem monachorum adunavit, Abbatemq; eis Ranigerum quendam præfecit. Id factum apud Magdeburgum in Saxonibus coram omnibus regni Principibus, cum fuissent in hoc loco Canonici annis 125.

20. *Ranigerus* ab Othone ipso Abbas designatus & in hunc locum cum 40. monachis missus, anno 973. præfuit pie & sapienter 34. annis sub Othonibus & Henrico II. Obiit anno 1007. 19. Kalendarum Septembrium. Sepelitur cum tali epitaphio:

*Hæc recubant fossa Ranningeri patris ossa,*

*Et sunt hominis lege soluta cinis.*

*Hunc Otho primus transmisit Cæsar opimus,*

*Sifridi monitis egregij Comitiss.*

*Misit & hunc talem, qui vitam cœnobialem*

*Hic reparare pio sufficeret studio.*

*Nam locus iste bonis hoc tempore religionis*

*Factus erat vacuus rebus & exiguis.*

*Dumq;*



*Dumq; vir industris tribus annis, sex quoq; lustris  
Præfuit, eximiam reddidit ecclesiam.  
Septembris flendis nonis deniq; Kalendis  
Clauferat ipse diem; nunc habeat requiem!*

21. *Uroldus* Abbas præfuit 21. annis, sub Henrico II. & Conrado II. Imperatoribus: anno vero 1028. propter incontinentiam corporis ab Abbacia depositus & exauthoratus, Wizenburgum in Alsatia monasterium secessit, ibiq; sexto anno depositionis suæ moritur. Translatus inde Epternacum honorifice sepelitur in ecclesia ante aram S. Stephani cum tali epitaphio:

*Continet hic arctus locus Uroldi patris artus,  
Cujus in ecclesia sunt monumenta pia.  
Flamma vorax sedes templi consumsit & aedes,  
Anno cum decimo præfuit à minimo.  
Quas juxta damnis undenis fecerat annis,  
Quod reparata pie pars fuit ecclesie.  
Deinde loco cedens, annis quoq; quinq; recedens,  
Se voluit soli credere Leucopoli.  
Quo migrans membris septena luce Novembris,  
Sub claro titulo conditus est tumulo.  
Ordine post iusto translatus ab hospite busto,  
Hac tumba propriæ clauditur ecclesie.*

Hujus Uroldi 10. anno accidit, ut incendio miserrimo totum pene monasterium 11. Kalend. Septembr. periret: & eodem anno videlicet 1016. fundamentum novi cœnobii positum, totumq; cœnobium undecim annorum spatio absolutum est usq; ad fenestras. Donodedit cœnobio calicem aureum magni ponderis & tabulam auream.

22. *Humbertus*, monachus Treveri apud S. Maximinum, postulatur & eligitur in Abbatem successoremq; Uroldi anno Domini 1028. Is inceptum cœnobium egregie absoluit & tertio sui regiminis anno consecrari fecit ab Archiepiscopo Trevirorum Domino Poppone, anno videlicet Domini 1031. Fuit summus cœnobii hujus reparator & illustrator. Præfuit summa cum laude



& utilitate annis 24. Obiit anno 1051. quinto Idus Augusti, sepultus post aram omnium Sanctorum.

23. *Reginbertus* Abbas successit Humberto ipsis Kalendis Decembris. Præfuit summa cum laude & virtute 30. annis. Obiit anno 1081. tertia Decembris. Sepelitur ab Engelberto, Trevirorum Archiepiscopo, in tumulo, quem vivus sibi adornarat.

24. *Theofridus* constituitur Abbas anno Domini 1082. decima tertia Kalend. Decembris. Confirmationem mox Romæ suscepit. Præfuit 28. annis, sub Henrico IV. & Henrico V. Imperatoribus, strenuissime & utilissime usq; ad annum Domini 1110. quo 3. Nonarum Aprilis ex hac luce emigravit. Erat homo subtilis ingenii, qui monumenta plurima & prosa & litigata oratione scripta, diversas item historias à se compositas post se reliquit. Gichlingum, Alstorffum & Burnium comparavit. Sepelitur veneranda senectute conspicuus in conventu à Brunone, Archiepiscopo Treverensi.

25. *Gerhardus* eligitur 4. Kalend. Maji anno Domini 1110. Præfuit annis 12. Succidi fecit circumjacens nemus. Exautoratur anno 1122. tertia Idus Decembr. jussu Henrici V. Imperatoris & Archiepiscopi Brunonis propter multimoda damna ecclesiasticis rebus illata. Vixit post exautorationem adhuc viginti diebus. Obiit anno 15. regni Henrici V.

26. *Godefridus* designatur Abbas in Kalendis Maji an. 1122. Præfuit 33. annis à decimo sexto anno Henrici V. usq; ad quintum annum Friderici Imperatoris, præsentibus decimo septimo Basiliensi Episcopo, & Conrado Rege, Henrici Imperatoris nepote, qui Lothario successit. Accedente postea communi fratrum & fidelium consensu, Prumiensis quoq; ecclesiæ pater & Abbas est designatus, utilissimus utrobq; gubernator. Cumq; 13. annis præfuisset Prumiæ, exautoratus ibi odio fratrum, per Arnoldum, Coloniensem Episcopum, reversus est Epternacum, ubi tribus adhuc annis supervixit, in quibus excoctus igne in gravescens morbi, anno 5. Friderici Imperatoris, hoc est, an. 1155. 8. Kalend. Junii naturæ debitum solvit. Sepelitur ante aram omnium Sanctorum cum tali epitaphio. Quod



Quod caro sit vermis, quod homo sit pulvis inermis,  
 Approbat illud homo, verme scatens in humo.  
 Hunc pater ad morem Godfridus, carnis honorem  
 Qui fugit ut fumus, mutat & hic fit humus.  
 Provida mens, habilis complexio, sanguis herilis  
 Huic dederant aditum culminis ad meritum.  
 Sed geminos Phœbus cum scanderet octo diebus,  
 Carnis deliquio transiit è medio.  
 Annis ter denis & quatuor haud modo plenis,  
 Abbatis titulo functus & huic tumulo.  
 Ast homo, qui cineris fors, hic dum vivus haberis,  
 Ad cineres hominis vota fer ipse cinis.

27. *Gerardus* successit Godfrido. Præfuit 18. annis sub Imp. Friderico, & resignavit gubernationem, posita pastorali virga super altare S. Wilibrordi anno Domini 1173.

28. *Ludovicus*, Abbas Ecclesiæ S. Eucharîi apud Treveros, eligitur sub Friderico Imp. anno 1173. Præfuit annis octo usq; ad annum 1181. quo resignavit Abbatiam, & ad Ecclesiam suam Treverensem rediit. Præfecit prius tamen, cum consensu Capituli, Epernacensi monasterio Godfridum diaconum suum.

29. *Godfridus* iste præfuit laudabiliter 28. annis, ab an. 1181. usq; ad annum 1210.

30. *Bartholomæus* Abbas successit Godfrido II. Præfuit 21. annis, ab anno videlicet 1210. usq; ad annum 1231.

31. *Reinerius* præfuit annis undecim, ab anno 1231. usq; ad an. 1242. à Theodorico, Archiepiscopo Trevirorum, confirmatus.

32. *Arnoldus*, vir venerabilis & æterna memoria dignus, accepit Abbatiam à Conrado Augusto, filio Friderici II. apud Haganooam anno Domini 1242. Fuit magnus benefactor & utilis gubernator sui monasterii, cui præfuit ac profuit annis 27.

33. *Henricus* Gallicus designatur Abbas an. 1269. Præfuit per unius saltem anni spatium, & obiit anno 1270.

34. *Richardus* præfuit 26. annis. Obiit in Nonis Junii anni 1296.

35. *Ludovicus* præfuit duobus annis. Obiit 15. Kalend. Septembr. anni 1298.

Ttt 3

36. Hen-



36. *Henricus de Schoneck* præfuit 26. annis. Acceperat Abbatiam ab Alberto Roman. Rege. Obiit anno 1324.

37. *Arnoldus* eligitur à Baldwino Archiepiscopo, & confirmatur à Ludovico Imperatore Coloniae anno 1324. Præfuit tantum quinque annis. Fuit utilissimus & fidelissimus cœnobii sui Rector & illustrator, virque omnibus præclaris virtutibus insignis. Obiit Treveri 10. Kalend. Junii, anno 1329.

*AraLunæ.* 38. *Theodoricus de Arle*, fortassis Ara Lunæ, quod civitatis nomen est, nobilis genere, succedit Arnolde statim, sed non ita mox confirmatur, impeditus nimirum per quatuor menses à Baldwino, Archiepiscopo Treverensi, quem Comitissa de Spanheim in castro suo Starckenberg captivum tenebat, à quo tandem soluto Theodoricus etiam confirmatus est. Præfuit Abbatiae annis undecim, & pertæsus gubernationis resignavit anno Domini 1340. 16. Kalend. Martii.

39. *Joannes de Winningen* eligitur in locum avunculi sui Theodorici anno 1340. Præfuit annis 13. Obiit an. 1353. 3. Octobr.

40. *Joannes de Newil*, hoc est, de nova villa, confirmatur ab Innocentio Pont. Max. Contra hunc *Henricus de Arle*, Ara Lunæ, ab aliquibus conventualibus electus est, qui legitur decessisse anno Domini 1357. Sepelitur Epternaci honorifice. De Joanne nihil in fastos relatum est.

41. *Wilhelmus de Kerpena*, Baro vel Comes, regalia accepit à Carolo IV. anno Domini 1362. & anno 1373. Infeudavit 21. Maji Ludovicum de Macharon, Præpositum Lucensem: aliud de eo nihil extat.

42. *Herdwinus*, Comes de Waldegk, Abbas, habuit fratrem Hentzonem de Waldeck, qui cum Abbate Wilhelmo coram Treverensi Archiepiscopo de Abbatiae possessione litigavit. Huic successit *Dominus Philippus*, filius Arnonis, Comitæ de Homburg, Domini zur Filtz, electus quidem in Abbatem, sed obiit is ante impetratam confirmationem anno 1377.

42. *Wiricus de Atembach* eligitur an. 1377. Confirmatur ab Urbano Papa, & regalia accepit à Wenceslao Rege anno 1379. Præfuit 20. annis. Obiit anno Domini 1399.



44. *Petrus Gimmichius* successit *Wirico* Abbati. Confirmatur à Papa *Bonifacio IX.* Regalia recepit à *Wenceslao* anno 1400. vicefima Septembris. Præfuit annis 15.

45. *Nicolaus de Gimmich* regalia accepit *Confluentiæ* ab Imperatore *Sigismundo* anno 1414. 19. Augusti. Quamdiu præfuerit, non invenio.

46. *Petrus de Huben* Abbas *Nicolao* successit: sed aliud de eo nihil scriptum reperitur.

47. *Winandus de Gluuel* venit *Epternacum* anno 1418. ubi per preces avunculi sui *Godefridi de Gluuel* obtinuit locum, factusq; monachus regulariter & devote Deo ibidem servivit. Postea anno Domini 1437. die 14. Jani eligitur in Abbatem ejusdem loci. Obiit 28. regiminis sui, anno vero Domini 1465.

48. *Colinus Plicke de Oirwick* eligitur anno 1466. die 9. Februarii. Præfuit 10. annis, & viam universæ carnis ambulavit anno Domini 1476.

49. *Jacobus Fay* de novo Castro, primum monachus in cœnobio *S. Eugendi Lugdunensis* diœceseos 21. Jani anno 1473. *S. Eugen-* mox postea commendator monasterii *S. Vincentii* apud *Metim di.* factus est & Abbas monasterii *S. Mariæ* apud *Lutzburgum*, tandem vero anno Domini 1476. vacante *Abbatia Epternacensi* per mortem *Colini* se in electionem (quæ per fratres jam altera vice facta erat *Canonicè* in *Dominum Franciscum de Plicke*, *D. Colini* fratrem) injecit, perq; vim intrusit. Contenderunt itaq; hi duo de gubernaculo diu: sed lis per *Cardinalem Mediolanensem* tandem sublata & pacata est. *Jacobo* mortuo tale epitaphion positum esse invenitur in sinistra chori *Epternacensis*.

*Hic jacet illustris heros Jacobus reverendus,  
Deq; novo castro fuit ortus, Et simul hujus  
Abbas Vincentinus in Epternach quoq; Lutzburg,  
Hic anno Domini C bis septemq; noveno  
Ac octo decies, decimoq; die puto quarto  
Sextilis mensis moritur pater, hicq; superna  
Pacificus requiescat in alti sidere cœli.*



50. *Burcardus Boswinus* de novo castro, anno Domini 1455. suscepit habitum religionis in monasterio Epternacensi. Hic, lite pendente in Rom. Curia inter Franciscum Plieck electum, & Jacobum Fay de novo castro intrusum, corrivales & de Abbacia contententes, ac bonis monasterii per dictum Jacobum & ejus adherentes vi direptis & distractis, &c. constitutus est administrator generalis & specialis omnium causarum & rerum monasterii per ipsum Reverendiss. Archiepiscopum Treverensem: mortuo vero supradicto Domino Jacobo Abbate, unanimi fratrum electione, constitutus est Abbas anno Domini 1490. Reformavit monasterium regiminis sui sexto. Obiit anno Domini 1506. Sepultus ante sacrarium.

51. *Robertus de Monreal*, hoc est, monte Regali, vir nobilis, successit Burcardo. Præfuit annis 34. summa cum laude & virtute, utilissimus cœnobii sui gubernator, & variis ædificiis ac ornamentis illustrator longe maximus. Fecit inter cætera anno Domini 1538. insigne peristroma, cui omnium sui cœnobii fundatorum & benefactorum, ab Irmina, Dagoberti Regis filia prima fundatrice, usq; ad Carolum Magnum, & inde iterum omnium Imperatorum à Carolo Magno usq; ad invictissimum nostrum Imp. Carolum V. imagines & nomina miro artificio inserta visuntur. Obiit anno Domini 1540. Charissimus fuit Imperatori Maximiliano, qui anno Domini 1512. Epternacensi templo donodedit cereum 354. librarum cum adscripto carmine in sui memoriam.

*Cereus  
magni  
ponderis.*

52. *Matthias de Lutzerad* successit Domino Roberto Canonicè electus, contra quem constituitur à Domina Maria, Belgii gubernatrice, Caroli V. Augustiss. sorore, Dominus Godefridus de Appermonti, hoc est, aspero Monte, Gallus. Lite vero pendente adhuc inter hos duos, alter Matthias videlicet rebus humanis exemptus est anno Domini 1543. Cœnobitæ omnes indigne ferentes, Godefridum intrusum esse, secesserunt, & post mortem Matthiæ unanimi consensu Confluentiæ elegerunt.

53. *Jacobum* à veteri Eberstein, qui pensione annua mediocri contentus, summam gubernationis Godefrido integram permisit,



misit, uterq; vivit adhuc currente hoc Jubileo. Alter Godefridus videlicet Epternaci in plena gubernatione, quem superiore anno vidi in conventu Lutzelburgensi: Jacobus vero Mediolaci, ubi nunc rerum summa ei concredita est, & ipse Abbas ejus loci constitutus regit locum sibi commissum fideliter & laudabiliter.

Est in hac ipsa civitate Epternacensi S. Claræ monialium *S. Claræ Cœnobi-um Epter-nacense.* coenobium, quod inchoatum & fundatum est anno Domini 1342. ab Illustrissimo Principe & Domino, Domino Joanne, Bohemiæ Rege & Comite Lutzelburgensi, Henrici VII. Rom. Imp. filio, Lutzelburgi in beatæ Virginis præpotenti Abbatia sepulto. Dotatum est à Carolo IV. Imp. ac Bohemiæ Rege, antedicti Joannis filio, anno Domini 1348. Tandem etiam à Wenceslao Romanorum ac Bohemiæ Rege anno salutiferi partus 1368. postremo auctum ac locupletatum à Petro Saracchino, Scabino Epternacensi, ejusq; uxore, Domina Juliana, quæ omnes possessiones suas legavit monasterio anno Domini 1352. Catalogus ejus loci Abbatissarum talis ibi inventus & à me annotatus est.

1. *D. Hildegardis* de Colonia, quæ obiit anno Domini *Abbatiss. ordo.* 1350.
2. *D. Joanna à Bech*, quæ præfuit usq; ad combustionem.
3. *D. Elisabetha de Montebuer*, latine monte Tabor, ad Rhenum sito oppido, præfuit post combustionem, & monasterium incineres collapsum restauravit.
4. *D. Elisabetha de Orlei.*
5. *D. Catharina ab Orlei.* Obiit anno salutis 1486.
6. *D. Agnes ab Elß* eligitur anno 1468. Præfuit annis novem. Obiit anno 1495.
7. *D. Philippa à Brandenburg* præfuit annis 14. Obiit anno 1509.
8. *D. Francisca à Klerff* præfuit annis 24. Obiit anno salutis 1533.
9. *D. Margareta à Nassaw* præfuit annis undecim. Resignavit gubernaculum Abbatissæ anno Domini 1544. Est adhuc superstes hoc anno Jubileo.

Uuu

10 *D. Hil-*



10. *D. Hildegardis à Milburg* eligitur anno 1544. nobilis ac præclara Domina. Præfidet adhuc hoc currente anno Christianorum 1550. feliciter.

Ad lectorem Bruschius.

*Hic Schyrensis erant nobis monumenta locanda:  
Sed quia deérat adhuc aliquid, transferre ea, lector,  
Malui in ipsum operis colophonem, obtrudere manca  
Quàm tibi. Tu, quæso, hoc studium recte accipe nostrum.*

**SCHLUSSELHOVIUM**, quasi clavium ager, monialium Snobili profapia editarum ordinis ac instituti Cisterciensis visitationis que Lanckheimensis cœnobium, proculdubio quondam, ut ex veteribus structuris apparet, magnificentissimum potentissimumq; duobus brevibus milliaribus à Bambergæ civitate Episcopali ad Ebrachium fluviolum situm, fundatum & constructum legitur sub Episcopo Bambergensi, Leopoldo, Comite de Liningen, annum Christi circiter 1260. à nobilibus Baronibus de Schluffelberg, quorum insigne fuit rubra clavis in alba planitie: quorum item sedes ac domicilium fuit antiquitus in Plassenburgo, fortissimo castro supra Culmbachium sito, quod hodie Marchionum est Brandenburgensium. Horum fundatorum talem reperio genealogiam brevem.

*Plassen-  
burg.*

*Geneal.  
Schluffel-  
bergio-  
rum.*

*Eberhardus*, Baro de Schluffelberg, qui primus fundum dedit ad construendum cœnobium, duos habuit filios

<i>Godefridum</i> : is legitur occubuisse in exteris nationibus, ubi Cæsarum castra forte sequutus est.	<i>Gisela</i> filiam, primam Abbatissam in Schlusfelow.	<i>Conradum</i> . Hunc habitasse ajunt Plassenburgi, sed anno Domini 1306. tradatum esse in arce hodie Episcopali, Neideck, quæ ad Wisnadum amnem infra Weischnfeldum Episcopale oppidum è regione arcis Streittbergensis sita est. Is præcipuus cœnobii fundator & benefactor fuisse dicitur, & ex Leucarde, Comitissa de Zollern, excepisse sex filias.
---	---	---

*Neideck.*

*Rey 271*